FEBRIS.

DIALOGVS

HVTTENICVS.

Baptista Mantuanus de quodam,
Cur tibi tam longa est cum tuâ puellâ fabula?
Libera quod vicis tota jubenda fuit.

Hoc est
Vivam bis, vita posse priore frui.

VLRICHI DE HVTTEN EQV. FEBRIS DIALOGVS.

Interlocutores Huttenus & Febris. HVT.

QVIN TV ABIS, quam oportuit primo statim die exigere, tam molestam hospitã. Atq; audin? Abi, abi apagò. FEBR. At ex tua simul humanitate, & ueteri Germanorum instituto fuerat, hospitium saltem commonstrare abeunti. Quãquam te iterum, si fieri potest, oro, ne expellas hoc hyemis, incertã quo diuertendum sit. HVT. Tibi dico primum, abi, Ad hospitium deinde quod pertinet, Vides hanc portam? per eam descenditur rectà. FEB. Duc me age, uerum ad aliquem duc uoluptarium, diuitem, potentem, cui equi sint, ministri, comites, & familia copiose, & uestes, & horti, & balneæ. HVT. Hospes est hic ipse, ad quem duco, sed non caret his, ac utitur credo. Atq; eccam tibi domum. Agit ibi magno cum comitatu Cardinalis S. Sixti, Roma huc profectus, pecuniam à nobis ut petat, in bellum contra Turcas quam insumant Romanenses isti, magno iterum apparatu expeditionem mouentes, periti bellatores, obnoxium tibi genus. Age, occupa, Cubat autem in palla purpurea, supinus, inter complura circum aulæa, & ex argento cœnat, ac auro bibit, ita delicate

delicate, ut neget in Germania esse homines, qui palatium habeant. Damnatq; perdices hic & turdos, Italicis absimiles dicens, ac nihil sapore respondentes. Nauseat & ferinam, ac panem insipidum uocat, ac uinum bibens lachrymatur, Italiam clamans, & Cursicum inuocans. Obq; has imprimis causas Barbariem nobis imputat, & ebrios uocat. Nec per quattuor menses, adhuc semel appetitui satis fecit, ganeæ & saporum inopia. FEBR. Surdæ cantilenam hanc. HVT. Quid? Non aptus tibi hospes? aut quem quā hic inuenies magis principē, cui sic inclinent alij, & congenudent? Aut non dignus tibi uidetur febre? FEBR. Etiam Podagra. HVT. Quam ob causam non placet igitur? FEBR. Ille macilentus? Ille gracilis? lunceus? & exuccus? Ille obstippo capite? Ille nuper inter fratres, atq; adeo casearios? nouitius Cardinalis? per reliqua uetus? Ille tribus obulis cœnans? Cuius ego cocum redeuntē sæpe a foro cū carnis semuncia uideo? HVT. Inuertis omnia. Ille inquam magnificus, ille reuerendiss. Ille à latere, cuius est dominatio cuius paternitas, cuius clemētia. Quem credibile est, sordide uitam degere, cū Germanos satis lautos non putet? FEB. Vt uiuat ipse, nihil pugno. Me uero quomodo bene habebit, qui suos omneis male pascit, male uestit? Ad cuius ædes ubi cōpulsassem nuper, & me increpuisset ianitor, petissemq; aliquot ibi dies hospitari, audin' hos inquit strepitus? Audio dixi. Erat autem quidam aliquid quasi petentium pulsus. Panem ait rogant pransi domestici. Panem inquam ego? Atque ita parce datur hac in domo cibus, ut ne panis quidē satis apponatur? Ita parce inquit, Tum puluilli non sunt, aut plumæ nullaq; omnino mollities, præterquā ea, cui se Cardinalis ipse deuouit, & in qua delitiatur. Verum is male dictionibus aduersum te instructus est, excommunicaturus

turus, ſtatim, ac latū intrò pedē acceſſeris. Legatus eſt enim Leonis Maximi, male & bene ut mereī quis, aut ipſi uiſum fuerit, precari potens. Dictum putaui, atque abiens, te inueni benigniorem ſtatim hoſpitem. HVT. Tum me tenuius ut uideo cœnare oportuit, quem tu nunquā, ſi meminero, inuenies hos apud Sacerdotes, largius epulantem. Verum iſti tibi opifices, inepti ſunt opinor & ipſi hoſpites. FEBR. Qui me partim inedia procul arcent, partim corporis exercitio longe proturbant. HVT. Ad principum te autem domos, aut illorum diuitum quid ſi adduxero, aut mercatores, atque adeo Fuccheros tibi ſi indicem? FEB. Nihil, cinctos omnes turba medicorū inueni accedens aliquādo. Próinde & apud ipſos non eſt locus, duc alio, per meum illud in te uetus beneficium oro. HVT. Per quod tuum beneficium? Quam mihi fictionem narras? Tu autem beneficio afficis, quos habes? FEBR. Te omniū maxime. An excidit, octauo abhinc anno quā te ſtudioſum, quàm pietati deditum, & quàm patientem te reddiderim, quartana quando adfui, ſex non amplius menſes? HVT. Immo ualde quando cruciabas tu me, ego cōtra tui tædio, impenſius ſtudia colui. Verum agnoſco conſilium. Ad illum te refers defenſorem tuum, qui iſta inſtruxit oratione, qua uteris, apud eos quibus per riſum etiam moleſtiam accumulas, fingendo ſtudioſos facere te, & ingenioſos. Quod ſi uera ſunt, quæ de tuis ille beneficijs commemorat, quare non item ualentiorem me reddidiſti poſt, cum ille dicat, à quartana quod conualuerit ſemel, eum rectius ualiturū poſt, quàm unquam prius? At ego, tot illos a tuo diſceſſu annos ægrotaui, aliis atq; aliis continuo morbis. FEBR. Quia derelinquendi tui conſiliū haud dum cœpi, & tunc quidem ut mox reditura abſceſſi. Nunc uero niſi in aliquod me dignum

gnum auertis hoſpitiũ, dico tibi ut propoſitũ eſt meũ, ne adhuc quidem deſeram, ac irato etiam adero, totos ſi uidebit ſex aut ſeptẽ annos. HVT. At ego tribus ut il le obulis interdiu obſonabo, & abſtemius uiuam. FEB. At te ego delicatum reddam, per mei affectionẽ alia ex alijs ut concupiſcas. HVT. Tunc medicos ſuperinducam tibi, & illũ ſtatim magna cum fiducia Stromerum. FEBR. Hà medicos, hà Stromerum, quaſi tuos ego ibi mores haud ſciam, qui ægrotare malis totum libẽter annum, quàm illud ſemel aut iterũ uorare Rabarbarũ, aut Hellebori ſcrupulos duos. Quin illum mihi ſuperinducis, qui uidens auenæ granum in ægri lotio, equũ deuoraſſe eum putauit. HVT. Quod cauere me oportet, nunc autem alios iterum ad hoſpites traducam. Et quia cum uoluptarijs illis negotiũ tibi eſſe dicis, ſequere hàc me, ad illos abimus fratres, molliter per omnia uiuentes, uel hoc argumento, quod obeſi ſunt, & bene curata cute, tum iucunde uiuunt & ſuauiter, moranturq; intra cellas, raro ad illud quod obeſſe tibi uideo, corporis exercitium abeuntes. Bibunt autem uinũ, & eſu piſcium utuntur intẽperatiſſime. En te dignum hoſpitiũ. FEBR. Non abducis, Audiunt enim mulierc ularum confeſſiones, & incantamẽta diſcunt, quibus uel procul uiſam me abigunt. HVT. Vin' ad illos igitur Canonicos, quibus eadem iſta affatim, & copioſius adhuc multo adſunt, niſi quod equitant interdum, & uenãtur, exercendi ſimul & oblectandi ſui gratia? Omnino conuenire tibi exiſtimo, ſiquidem petis ſucculentos, & benepaſtos aliquos, qui opipare cœnant, molliter cubãt, ſuauiter otiantur, & nequid eſſe aduerſum te munimenti ſuſpiceris, ſecure uitam degunt, illis medium digitum oſtendentes medicis, quos tu neſcio quomodo in tantũ metuis, apud Fuccheros, cum plerumq; magis ægrotẽt

quibus ipsi adsunt, quàm qui, ut apud Saxones, sine medicis ætatem degunt. Scilicet medicos contemnunt hi, quos dixi. Præterea supini ... plurimũ iacent, & in balneis delitiantur, agunt q; conuiuia creberrime, & inter scorta ebrij ad multam plerũq; noctem desidẽt. Quosit, ut crudis sint stomachis, & subinde male concoquant. FEBR. Est hoc quidem aptum febri genus, ac digni uidẽtur huiusmodi, quibus quàm diutissime cohabitẽ. Sed uereor innumerabiles ne me ibi ægritudines præuenerint, quãdoquidem sic uiuũt illi, Putas tu aliquem horum enim, morbo haud dum captum? & quem non occupauerit podagra nuper, aut calculus, aut hydropisis, aut Ischia, aut articulorum cruciatus, aut lepra, aut morbus regius, aut caducus, aut Gallicus, aut pessima quæq; scabies, aut Cancer, aut Polypus, aut Lupus, aut Fistula, aut Angina? Aut qui manibus ac pedibus per multam miser Ebrietatem tremat? aut laterũ dolor quẽ uexet? aut qui utcũq; affectus sit, quo minus febri locus esse possit? Nam & hæ quas dixi, & aliæ innumeræ pestes, culinam sequuntur, mensas & cõuiuia quærunt, ac cum delicatis illis, & pinguibus, habitare gaudẽt, & ad ferculorũ ut ego uarietatem, & luxum, agminatim confluunt. HVT. Confide, aliqui uacant enim, iste inprimis Curtisanus, qui nuper ab urbe reuertẽs, cum apud quendam illic Cardinalem didicisset molliter uiuere, in medias se repente delitias coniecit, agitque periucũde. FEBR. Bibit uinũ? HVT. Perbibit. FEBR. Cõdit pipere, & cinamomo, & zinzibere, & gariophyllo? HVT. Largissime. FEBR. Habet lectos, & tapetes, & culcitras plumis suffertas, & ceruicalia, & sericum? HVT. Instructissime. FEBR. Tum pisces edit etiã? HVT. Lurcatur, sed non nisi caros, & magni emptos, amatq; perdices, & phasianos, & si leporem edat, pulchriorem

chriorem se fieri putat, Iam autem longam hanc hyemẽ dicit, qua caret asparagis. FEBR. Et lauat nonnũquã? HVT. Cupidissime, & crebro. FEBR. Non auarus est interim? HVT. Profusissime liberalis. FEBR. Negotium est illi cũ medicis? HVT. Odit infense, & Germania expellẽdos putat. FEBR. Pellitus est, aut aliter bene uestitus? HVT. Immo ut ille apud Martialem,

Optat & obscuras luces, uentosq; niuesq;,
Inter sexcentas Bacchara gausapinas.

FEBR. Vereor ne me haud diu sustinere possit, his moribus. HVT. Id tu uideris scilicet, quæ cur uelles statim suffocare, quem diu tenere possis? FEBR. Si me delicate nimis tractauerit. Verum heus tu, habet Musicos? HVT. Et parasitos. FEBR. Et scortum habet, quod nos curet? HVT. Quoddam molliculum & blandum. FEBR. Habet uentrem? HVT. Iam extare illi incipit. FEBR. Quod si me nõ accipiat ille, tunc tu quo duces? HVT. Circumducam. FEBR. At te ego circumscribã. HVT. At te ego contemnam. FEB. At te ego iugulabo. HVT. At tibi ego oppedã. FEB. Febri? HVT. Tibi Febri, suffragantibus inedia, exercitio, sobrietate, & acta duriter per omnia uita. FEBR. Tentabo beneficiarium illum, post de te uidero. HVT. Vt uoles, ego me hinc proripio.

FEBRIS, DIALOGI FINIS.

Mense FEBR. An. MDXIX.